

existentiam ejus in sepulcro et in Sacramento. Subtiliter igitur ex *Aristotelis* principiis stabilita opinione sua concludit: *Nos ergo adherentes fidei orthodoxe et modo humano uolentes philosophari secundum ea que tradidimus probabiliter incedentes secundum modum intelligentie nobis a deo concessę ostendimus, quod non conuenit ponere plures formas. In quo finem imponimus huic libro quem intitulari uolumus contra gradus et pluritates formarum. Laus ergo sit ipsi christo &c. L. I. c. I.* loquitur Autor *de hiis que tradidimus de statu hominum egrorum.* Quid igitur, si *Guilelmus de Morbecka* fit, de quo supra meminimus, quique varia Medica de Graeco uertit, ut habes in *Scriptt. Ord. T. I. p. 390.* idque eo magis, quod sub rescripto, ut dixi, *Thomae* nomine, manifeste litera G. adparet.

DLXII.

R. 645 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 55. 8. fat nitide perscriptus et a. 1721. Bibliothecae Palatinae cum aliis hoc *Vol.* relatis traditus a *Thoma M. Alfano O. Praed.* inscribitur: *Opus D. Thomae Aquinatis De Essentijs*, in calce uero *Liber de Essentia essentiarum*, quem ideo Codicibus Theologicis adnumerare uisum est, quod ab *Essentia diuina tractationem* orditur; hinc enim ad *Physica*, ad *Essentiam corporum supercelestium, elementorum, mineralium, plantarum, animalium* et *accidentium* digreditur. Licet ue-

ro mihi breuem esse per *Quetifum* et *Echardum*, qui T. I. p. 344. luculentis rationibus eum ab *Thoma* abjudicant, quas ibi uide. Init ille: *Magnifico principi ac Illustrissimo domino suo N. primogenito regis ierusalem et Sicilie — Cum prima causa et summa ex altitudine sapientie sue &c. Pro N.* in Codice *Coistin.* inuenerunt Bibliothecarii praedicti *Roberto*, nempe *Caroli II. Claudi* filio, qui biennio post mortem *Thomae* natus fuit. In loco, quem illi excerpunt, fabuloso de *Libro Abelis* nobis fol. 17. p. 2. rectius legitur *Hermes*, quam *Hermogenes*; *Hermeti* enim *Theurgorum* et *Alchymistarum* *Vulgus* ejusmodi stupenda tribuebat. Addam duobus illorum *Locis* excerptis tertium, nobis fol. 18. *Narrat mibi etiam quidam, quod fecerit ymaginem de stanno, secundum quod in dicto (Abelis) libro precipitur, Luna existente sub 2^{da} fatie aquarij non retrograda: et scripsit nomen domini siue Intelligentie lune, et fecit illa que erant necessaria ad ymaginem, secundum quod ibi precipitur, et uolens deridere puellas cuiusdam opidi, posuit dictam ymaginem in aqua et fonte sub aqua illius opidi, et omnes urcei et uasa, que tangebant aquam, frangebantur. An haec ab *Thoma Aquinate* expectes?*

DLXIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3356 XIV. Folior. 93. 8. maj. parte priori per duas columnas minutissime,